

in aula, cura principem admoneri propositi Philippi, imo, si potes, ipse eum admone. Dilatio furoris eius quoque repressio erit. Optime vale. Hunc fratrem tracta humaniter et devince eum tibi, si forsitan possit tibi esse usui; ut prædicet tuam humanitatem, idoneus erit; ait se in aula habere notos. Solliciti simus domino; ipse suæ causæ aderit. Arg(entorati) 17.  
M(artinus) Bucerus.

## 438. Wolfgang Musculus an Ambrosius Blaurer.

III, 214.

Augsburg (1534)<sup>1)</sup> August 17.

[Er bedauert die Streitsucht der Lutheraner und stellt ihren Fragen gegenüber seinerseits solche auf, die von ihnen zu beantworten wären.]

Gratia Christi tecum, Blaurere charissime. Temporum nostrorum magna est iniquitas. Non potuerunt Saxones paci suæ consulere nisi aliorum malo? Quid, quæso, iam tragœdiæ nobis titulo sacramentarium, ut nos vocant, denuo suscitant? Forte non satis est sævitum. O ingenia viam pacis ignorantia! Verum, qui foveam fodit, iusto dei iudicio incidet aliquando in illam. Schnepfius initio male erga te. An, quæso, statim erat contendendum verbi ministris evangelium pacis cum inter adversarios tum adhuc infirmos prædicaturis? Non potuit contentio illa saniore consilio vel differri vel seorsim amice et ingenio christiano sine offenculo tractari? Quid opus fuit hanc gestiendi et detrahendi causam statim ab ipso rerum agendarum exordio sacrificulis ultro dare? Sed proni sunt Lutherani ad hoc, ut aliorum de sacramento corporis Christi fidem exigant ac rationem, quasi dominatores fidei nostræ constituti sint. Utinam tam parati essent ad reddendam suam quam exigendam alienæ fidei rationem! Non fuerit igitur iniquum vicissim et ab illis exigere, quæ sanum intellectum necessario concomitantur, primo: num credant Christum carnem assumpsisse veram, passibilem aliisque necessitatibus corporis uno dempto peccato obnoxiam, id quod puto non negabunt, quando et Lutherus in postilla sua super epistolam maioris missæ, quam die natalis domini celebrant pontificii, ad hunc modum scripserit: „Die menscheit Christi hatt eben wie ein ander heilig, natürlich mensch nit alle Zeit alle ding gedacht, geredt, gewellet, gemerckt, wie ettlich eynen allmechtigen menschen auß im machen, mengen die zwo natur unnd ir werch in eynander unweißlich“, et quæ illic eiusmodi multa habet. Deinde: quoniam sacramentum illud dominici corporis, de quo contendimus, ante Christi mortem, resurrectionem atque adeo et clarificationem institutum est passibili adhuc et carnalibus infirmitatibus et impedimentis obnoxio corpore Christi existente, num dicant illud eodem

<sup>1)</sup> Nach Notiz auf der Adresse am 22. August 1534 erhalten.

essendi modo in pane fuisse tum, quo postquam clarificatus in cœlum conscendit; non puto negabunt; omnino enim in hac contentione ad eam ipsam cenam, quam cum discipulis Christus moriturus iam habuit, recurrendum est. Tertio: num concedant corpus Christi hodie aliter esse in sacramento altaris, ut vocant, quam sit in cœlis; videntur siquidem similitudines illæ, quibus Lutherus in contentione usus est, illud non admittere.

Passus est Schnepfius, ut diceret corpus Christi esse quidem in cœna substantialiter et essentialiter (id quod ego interpretor nihil aliud esse, quam si dixeris vere, id quod ingenue fatemur), verum negares illic esse localiter. Tu quidem satis dextre localem corporis Christi præsentiam exemisti; sed quæso, quid erat illud crassius, quod primum ille abs te exigebat? Tu, velim, vicissim rogares: num credant et confiteantur corpus Christi alicubi localiter esse; non est enim obscurum ita per Lutheranos de illo disputatum esse, quasi velint illud non minus esse ubique quam ipsam Christi divinitatem. Quodsi hoc serio volunt et hodie, quid mirum, si concedant nobis, quod dicimus corpus Christi in pane non esse localiter, quando eadem facilitate concederent, si diceremus illud neque in cœlis esse corporaliter et localiter? Sed quomodo convenient ista cum veritate humanæ carnis? Iam non minus mihi peccare censetur, qui humanam Christi naturam tollit quam qui divinam. Rogentur itaque: quid dicant ad ista Augustini, quæ in epistola 57. ad Dardanum scripsit, nimirum ubi dicit: „Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, unde venturus est, memoriterque recole et fideliter tene christianam confessionem, quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris nec aliunde quam inde venturus est ad vivos mortuosque iudicandos et sic venturus est angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est in eadem carnis forma atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus; cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut, quod in deo est, ita sit ubique ut deus; nam et de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur et sumus, nec tamen sicut ille ubique sumus. Sed aliter homo ille in deo, quoniam aliter deus illo in homine, proprio quodam et singulari modo. Una enim persona deus et homo est, et utrunque est unus Christus Iesus, ubique per id, quod deus est, in cœlo autem per id, quod homo.“ Et iterum in eadem: „Nam spacia locorum tolle corporibus, et nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt.“ His nemo christianorum nec veterum nec recentiorum contradicere ausus est, quod ego sciam. Si possunt Lutherani

ista salva nobis relinquere, bene habebit, quantum attinet ad huius loci contentionem; nihil enim quærimus hic aliud, quam ut, quæ humanitatem Christi concernunt, non minus solida consistant, quam quæ attinent ad illius divinitatem.

Quatenus vero de manducatione carnis Christi in unum conspirari possit, non visa est mihi melior, quam sit Brentii in Iohanne suo cap. 6. super illa verba: „Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quicquam“ ita inter alia scribentis: „Itaque hoc solum quærimus, an pane et vino cœnæ dominicæ distribuatur et donentur fidei nostræ corpus et sanguis Christi.“ Si hoc solum quæritur, quid, quæso, contendimus? Quis nostrum istud unquam negavit? Sed audi, quid aliquanto post pluribus subiungat dicens: „At caro et sanguis sunt vere cibus et potus spirituales; proinde ut per verbum ita etiam per sacramentum fidei offeruntur et dantur corpus ac sanguis, ut habeat externus homo sua externa, panem et vinum, internus vero sua interna et spiritualia, corpus et sanguinem in mysterio donata. Nam ut baptismus duo habet, aquam et verbum, corpus in baptismo aquam sensibiliter accipit, quo lavatur, fides verbum, quo lavatur internus homo, ita et cœna dominica duo habet, panem, vinum et verbum; corporis os accipit panem et vinum sensu (præter panem enim et vinum aliud non sentit), os fidei accipit suo etiam sensu corpus et sanguinem, ut corpus in sacramento habeat corporalia signa et fides spiritualia, hoc est rem ipsam et veritatem. Proinde ne fidei, propter quam dominus sacramenta dedit, voto non satisfiat, omnino necessarium est, ut per sacramenta non solum vacua signa dentur, sed etiam rerum veritas, qua sola fides contenta fit.“ Hæc Brentius, Brentius inquam, ille Lutheranus, cum quo Lutherani omnibus pax est, quem ut fratrem in domino agnoscunt et colunt. Iam cum nos idem et sentiamus et dicamus, cur usque adeo explodimur, proscindimur ac pene in extrema pericula velut hereticorum omnium pessimi coniciimur? Corporis os accipit quid? panem et vinum, os vero fidei corpus ac sanguinem Christi. Quid brevius, quid verius? sed apud christianos, apud fideles, apud eos, qui mensæ domini convivas præstare possunt. Hinc est illud veterum: [hoc] norunt fideles, sancti, imbuti.

Rogo te, mi Blaurere, quidnam prætexere poterunt Lutherani, quominus his contenti sint? Si rogant, quid sit panis in cœna domini, respondemus ex verbis Christi: „Corpus est Christi, calix in cœna sanguis est Christi pro peccatis nostris in cruce fusus.“ Si rogant, quid sit, quod panem illum domini in cœna frangimus, respondemus cum apostolo: „Panis, quem frangimus, communicatio est corporis Christi, et calix, cui benedicimus, communicatio est sanguinis Christi.“ Si exigunt, quomodo panis sit corpus Christi, respondemus: „Non naturaliter, sed

sacramentaliter“, idque non præter sententiam ipsius Lutheri, quam de sua confessione scribens posuit. Si quærunt, quomodo dicamus in cœna comedi corpus Christi potarique sanguinem Christi in pane et vino, respondemus: „Ore fidei“, cum Brentio, qui sacramenta ista dicit fidei gratia a Christo instituta esse. Si concessis istis pax potest esse, bene, sit laus deo; si præter ista exigunt, quæ fundamentis fidei nostræ non conveniunt, non assentiamur, etiamsi ita volente domino vel sexcenties moriendum sit. Hæc de ratione cœnæ dominicæ, quam scio nos tecum et cum reliquis fratribus communem habere, imo etiam cum omnibus Christi sententiam vere agnoscentibus. De ceremoniis haberem, quæ scriberem, si non esses iam pluribus occupatus, quam qui sufficiat hac in re mihi satisfacere; anxie timeo ceremonias maxime contentionis semina nobis daturas. Sed iam vale in domino, fratrum omnium charissime. Dabitur aliquando de illis scribendi locus. Schnepfium saluta, cui, si videbitur, ista quoque communices. Dominus adsit laboribus vestris. Augustæ 17. Augusti.  
Musculus tuus.

## 439. Martin Butzer an Ambrosius Blaurer.

(Straßburg 1534 August ca. 20.)<sup>1)</sup>

I.

[Dringende Aufforderung auszuharren. Nochmalige Verweisung auf Melanchthons Antwort an Du Bellay. Butzer kann wegen seiner Antwort auf die Schrift des Bischofs von Avranches nicht kommen. Mahnung zu vorsichtigem und doch festem Auftreten.]

Gratia et pax. Te per Iesum Christum obtestor, ne discedas quomodocunque habitus. Hæc, in qua potes parte. Scripsimus landtgravio omnia<sup>2)</sup>; cum eo nunc agit Philippus, ut hic vides in literis eius et excerpto ex responso, quod dedit cubiculario regis Franc(ici) illi, qui apud vos fuit, Gul(ielmo) Bellaio Langio, de ratione concordie ecclesie, qua de causa misit proprium ad eum nuncium doctorem<sup>3)</sup> Hæc eadem misi tibi per fratrem<sup>4)</sup>, sed vereor sero venturum; tu, ut scripsi, tracta humaniter sed prudenter; magis enim Schnepfii forsitan fuerit, cui<sup>5)</sup> ne

<sup>1)</sup> Nach Notiz auf der Adresse am 27. August beantwortet; über das Jahr vgl. Anm. 2.

<sup>2)</sup> Über dieses Schreiben der Straßburger an Landgraf Philipp vom 16. August 1534, worin sie vor allem über Schnepfs Vorgehen klagten, vgl. Hassenkamp, a. a. O. II, S. 220 ff. Polit. Korr. d. Stadt Straßb. II, S. 219 f. Lenz, a. a. O. I, S. 38 ff.

<sup>3)</sup> Ulrich Chelius (Geiger), Arzt in Straßburg, vgl. Baum, a. a. O., S. 496 und unten Nr. 524 und 529.

<sup>4)</sup> Vgl. oben Nr. 437, 1 Nachschrift und 2.

<sup>5)</sup> Richtiger viell. „tu“ oder „tamen“ zu lesen; von hier bis „dabit“ Zusatz am Rand.